

Gradum in Scholiaribus non esse necessarium concluditur quidquid aliis dispositum sit etiam in erectionibus.

88 In quibus quod ad Gradum Scholiarum attinet, ita fuerat in erectione Limanæ Ecclesiæ dispositum, ut sufficeret in altero Iurium, aut in Artibus, in aliquâ generali vniuersitate receptus, ut videri potest apud Dom. Solorzanum Tomo 2. Libr. 3. Cap. 4. num. 14. & in Politicâ Lib. 4. Cap. 4. Pag. 521. in principio. Cumque qualitas talis Gradus non determinetur, videtur qualicumque ex vi erectionis sufficere: nec mirum, quia erectio dicta ante Concilij Tridentini publicationem fuit, videlicet Ann. 1543. vnde post illius publicationem oborta quæstio, quam supremi Indiarum Concilij diremit auctoritas, dum in talibus non esse Gradum necessarium declarauit: Immo quod in erectione Limanæ Ecclesiæ statutum est, non vigere, & consequenter neque aliarum, quæ ad eius sunt formam erectæ, tradit Dom. Solorzanus supra. Cap. 14. num. 18. & in Politicâ Capite etiam 14. pag. 615. Col. 2. & ita vidimus in Ecclesiis dictis aliquos omni carentes Gradu: vnde & dignitates istæ admitti tutâ conscientia possunt, quin etiam prætendi. Et ratio esse potest; quia iuxta Cardinalium Declarationem, quam adducit Nicolaus Garcia Parte 7. Cap. 7. in Additionibus ad num. 35. ex quo Dom. Solorzanus citat. numer. 18. Decretum Tridentini non comprehendit Scholasterias existentes in locis vbi non est erectum Seminarium, vel vbi in eius institutione Præceptores alij designantur. Cùm ergo in omnibus locis, in quibus Scholasterij existunt, Scholæ Societatis sint, vbi alumni Seminariorum commodè possint institui, quos præferendos aliis sacra Cardinalium Congregatio iudicauit, ut vidimus num. 53. Concilij, & erectionis videtur ratio cessare, sicut & Concilij Limensis vtriusque. Neque propterea Beneficium sine officio proueniet, quandoquidem Scholasticus aliorum Præbendariorum more Choro debet assistere, tali dignitate ad solum ferè titulum reuocata, sicut & Archidiaconi. Quamuis in Ciuitatibus, vbi vniuersitates generales sunt, maiorum Graduum collatio ad eosdem spectet: in quo dum occupantur, an haberi pro præsentibus debeant, aliquis quæstionis est. Et videtur affirmatiuè respondendum, sicut de aliis Præbendaris, quando ratione sui muneris absunt; dummodò ex industriâ occupatio dicta in tempus diuinis deputatum officis, vt de aliis diximus, minime reiciatur.

Archicantori, que obligatio.

Et restitutionis ex damno Ecclesiæ secuto.

89 Circa Cantorem, seu Archicantorem, nihil in Concilio Tridentino, in quo tantum statuitur, vt alumni Seminarij cantum Ecclesiasticum doceantur. Quod verò Præbendarius, cui dignitas confertur, huiusmodi non debeat per se munus docendi subire, receptissima praxis ostendit: in prouisione siquidem illius nulla peritæ in cantu habetur cura, & multoties iis illa confertur, qui neque discipuli in eâ esse arte possunt, ob vocis infauitatem. Eorum tamen impensâ subcantor constituitur, à quo id præstari possit, quod est à Concilio Limensi constitutum. Quod si alicubi ita non factum; faciendum sanè: aliâ conscientia minimè satisfactum. Si autem ex huiusmodi defectu Ecclesiæ detrimentum in diuinis officis patiat, videtur restitutio aliqua eidem faciendâ quantum prudentis æstimari possit arbitrio iuxta dicta num. 83. Verè enim in re

pretio æstimabili damnum est illatum, & ab obligatione ratione officij contractâ deuiatum. Pro quo videndus P. Fragosus Tomo 2. Pag. 861. num. 8. & 9. vbi cum aliis docet id, quo Præbendarius in foro conscientia priuatur ob delictum in feruitij defectu Ecclesiæ restituendum.

De Portionarijs.

90 Sunt & Portiones integras, & dimidias habentes, sed æqualiter ad assistendum diuinis obligati, nec minus quam Præbendis fruentes amplioribus; cum eo enim onere illas admiserunt; & quemadmodum Canonici non minus ad assistendum, quam Dignitates obligantur, licet minora illorum emolumenta sint, ita de Portionarijs dubio est procul iudicandum. Vnde circa hoc oportet illos attendere, ne ex inæqualitate prouentuum apparenti quodam respectu decipiantur. Potest autem aliquis circa statutum Concilij tertij Limensis hæere A7. 3. Cap. 26. cuius tenorem dedimus num. 59. ibi enim cum de obligatione assistendi agatur, Dignitatum, & Canoniorum mentio tantum habetur, neque clausula alia generalis additur, quâ Portionarij videantur comprehens, quæ tamen Cap. 28. habetur, vbi de non mittendis Præbendaris extra Ecclesiam agitur, verbis illis: Aut quancumque Præbendam in eâ obtinentes. Verùm ex eo sumi rationabile argumentum nequit, cum ibidem Concilium ad Tridentini se Decreta remittat Sessioe 24. Cap. 12. de Reformat. vbi de Portionarijs est mentio manifesta, verbis illis: Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus aut Collegiatis, Dignitates, Canonias, Præbendas, aut Portiones, &c. Neque dimidias Portiones habentes se exceptos velint, quia de illis manifesta mentio non videtur: verissimè namque facta est; siquidem Portionem habent absolutè talem, cum partem habeant satis considerabilem fructuum; quæ tamen aliarum comparatione dimidia est: & certè si talibus assignata omnino esset æqualis, ita vt alij maiorem non haberent, nullum esset fundamentum exceptioni: atqui per accidens prorsus accidit, quod alij maiorem: vnde in ordine ad effectum, de quo agitur, id non debet curari.

De Capellanis Chori, aliisque.

91 Iuxta Cathedralium erectiones solent Capellani, habituri partem fructuum designari, & pro Ecclesiâ Limensi lex decreti. Quorum obligatio ex eiusdem est tenore perspicua: neque priuilegijs illis generaliter fruuntur, quibus Præbendarij, quia reuera Præbendarij non sunt, vnde nec Sedem cum Præbendaris habent, nec cappâ vtuntur Præbendali. Nequeunt ergo dies vacationis habere, quos habent illi, quia nullibi inueniuntur concessi: & quia propterea constituti sunt, vt deficientibus Præbendaris, quibus varia pro absentia causa possunt occurrere, non desint qui officij sacri possint debitum penum decenter explere. Et ita post hæc scripta audio ab Illustrissimo Archiepiscopo iudicatum. Potest autem in dubium vocari, an suo ministerio non incumbantibus Capellanis, id, quod iis subtrahendum, accrescere aliis debeat: & negandum illud:

Illorum quoad assistentiam obligatio.

Circa Concilium Limense dubium expeditum.

Conc. Tri.

Que ex defectu restitutionis, Ecclesia debentur.

Quando aliquid illis accrescat.

Declaratio Cardinalium circa illos.

illud: quia Capellanis interuentibus accrescere non debet, quibus solum est salarium assignatum, nec per modum distributionum lucrantur: neque illorum labor ex defectu aliorum augetur, quia neque plus cantant, neque plus inseruiunt. Neque Præbendarijs, quia defectus talis in detrimentum cedit Ecclesiæ, neque per modum distributionum, vt dixi, talis remuneratio confertur: & ita reddenda est Ecclesiæ. Si dicatur, quid ex portione Præbendaris & Ministris assignata superest, ex quarta inquam parte massæ decimalis, ad Præbendarios pertinere. Id quidem tunc stabit, cum post salaria iisdem assignata Ministris, qui ad decentè diuini iisdem assignata Ministris, qui ad decentè diuini cultus rationem necessarii fuerint, aliquid superfluit: non verò quando ex assignatis salarijs ob defectum Ministrorum est reliquum; quia illud iam ex portione dicta censeri debet extractum, & Ecclesiæ attributum, vnde reddendum eidem, vt detrimentum ex defectu superueniens compensetur. Et circa hoc nescio an satis fundata esse solet, & non vnus aut alterius illa querela, Ecclesiæ competentibus carere Ministris, qui Choro inseruiant, dum Præbendarij parum sunt de negotio isto solliciti, scientes sibi accrescere quidquid minus fuerit illis impensum.

92 Est autem erga prædictos Declaratio Sacre Congregationis Cardinalium circa Cap. 12. Sessiois 24. de Reformat. numer. 33. vbi sic dicitur: Congregatio Concilij censuit non requiri licentiam Episcopi, quando obtinentes Dignitates, Canonias, Portionarij, abesse volunt tempore à Concilio Tridentino illis permisso. De alijs, qui non sunt Beneficiarij, & inseruiunt in Ecclesiâ, Concilium nihil disposuit, sed æqualiter seruandum quod Concilium mandat circa regimen debitum in diuinis officijs. Sic Congregatio. Vbi circa eos, qui Beneficiarij non sunt, indulgentiam Concilij non suffragari decernitur, sed obseruandum id, quod in citato Capite Concilium statuit: videlicet vt Episcopus circa id prouideat, dum Prouinciale Concilium non prouideret quid sit in diuinorum officiorum

celebratione seruandum. Ad eorum ergo prouidentiam spectat, quando & quomodo, qui Ecclesiæ inseruiunt, suo debeant ministerio adesse. Videntur autem Capellani Præbendariorum priuilegio frui, quia Beneficiarij dici possunt, quandoquidem Beneficium, redditus inquam Ecclesiasticos, propter officium spirituale recipiunt, propter assistentiam inquam in diuinis, & cooperationem erga ipsa: Declaratio autem Concilij quoad priuilegium dictum solos eos, qui non sunt Beneficiarij, discludit. Et ita videtur dicendum, si Capellanæ in titulum conferantur, & ex Patroni præsentatione: seculus autem si ex arbitraria designatione, & sine Canonica institutione. In Limensi autem Ecclesiâ præsentatio Patroni præcedit. Sed, etiam si dicamus Beneficia esse, non sequitur, ad illos Declarationem extendi, sed ad Beneficiarios, qui Præbendam habent, & non sunt peculiari Chori seruitio deputati. Procedit enim illa iuxta tenorem Concilij, quod Dignitates, Canonias, & Portiones expressit, & statim addidit: Priuilegium dimidia parte fructuum, quos ratione Præbende fecit suos. Solis ergo Præbendaris trimestris vacationis est indulgentia concessa. Quod si aliquale circa hoc dubium est, Episcopus arbitrari poterit, si non antè Synodus id præstiterit Prouincialis, seruata formâ à Concilio præstituta. Erit autem id certius, si obligatio Capellanorum, de quibus agimus, non sit quotidianæ & vniuersalis assistentiæ, sed pro certis diebus: sic enim valde diuersa ratio est in illis, ac in Præbendaris, vt non debeat illis vacatio similis indulgeri, cum eam ipsi habeant, vt ab obligatione assistendi diebus feriatis. Et idem de Acolythis dicendum, qui in Ecclesiarum erectionibus designari solent, vt videri potest in erectione Limanæ Ecclesiæ apud Dom. Solorzanum Libr. 3. Cap. 4. numer. 14. In eâ enim sex designati experiuntur. Nec de Præbendaris plura, vt ad eorum Capitulum veniamus, pro quo sit

An Beneficiarij.

Trimestri vacatione non frui.

Conc. Tri.

